

ITEM EPISTOLA GENERALIS CLEMENTIS PAPAE OMNIBUS TAM MAIORIS QUAM INFERIORIS ORDINIS CLERICIS AC CUNCTIS FIDELIBUS SCRIPTA.

- 1 CLEMENS URBIS ROMAE *episcopus* omnibus *coepiscopis, presbyteris, diaconibus* ac reliquis clericis, et *cunctis* principibus, maioribus, minoribus omnibusque generaliter fidelibus *benedictio claritas et gloria in gratia dei*, quae data est nobis in Christo Iesu domino *nostro*. 5
- 2 *Urget nos, fratres, multus amor vester et religiosa invitat devotio*, quia debitores sumus, ut quaedam vobis scribamus. Vobis ergo, qui sacerdotio domini fruimini et *in speculo* estis positi, plus scire oportet, ut subditos vobis populos pleniter docere possitis eisque *ad regna caelorum ducatum praebere domino* annuente valeatis. Unde et ipsa per se veritas ait: *Vobis datum est nosse mysterium regni dei, ceteris autem in parabolis* et reliqua. *Propter quod consilium do unicuique* vestrum constanter docere *verba divina, et discentibus libenter accommodare aurem verbo dei*. Vestrum enim, quia LEGATIONE domini FUNGimini, est docere populos, eorum vero *est vobis obedire* ut deo. Si autem vobis episcopis non oboedierint omnes presbyteri, diaconi ac subdiaconi et reliqui clerici cuncti omnesque principes tam maioris ordinis quam et inferioris atque reliqui *populi, tribus et linguae* non obtemperaverint, non solum infames, sed et extorres a regno dei et consortio fidelium ac liminibus sanctae dei ecclesiae alieni erunt. Nam *vestrum est* eos instruere, eorum est vobis *oboedire* ut deo, CUIUS LEGATIONE FUNGIMINI DICENTE DOMINO: *QUI VOS AUDIT, ME AUDIT, ET QUI VOS SPERNIT, ME SPERNIT, et qui vos recipit, me recipit, et qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Nihil enim iniustius vel inhonestius est quam filios patribus rebelles aut clericos vel laicos doctoribus seu discipulos magistris inoboedientes vel protervos* existere. Novimus enim *primum hominem per inoboedientiam cecidisse*, idcirco omnes hoc vitium summopere cavere monemus. Et quia dominus *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, dominus noster mittens nos vice sua in loco apostolorum ad praedicandum praecepit nobis docere omnes omnesque* nobis fideliter oboedientes ut ipso existere, *quoniam nec aliter terra* 30

2 MAIORIS] *corr. from MARIS V.* 24 iniustius] *corr. from iniustitius V.* inhonestius] *corr. from honestius V.* 30 ipso] *over line: vel (ips)i V.* aliter] *corr. from alter V.*

4–7 Clemens ... nostro: *cfr Gregory II, J<sup>3</sup> 3705 (TANGL, MGH Epp. sel. 1 p. 30 l. 1–5).* 6–7 benedictio ... nostro: *cfr Apoc. 7, 12.* 8–9 Urget ... scribamus: *cfr Clem. I, Rec. IV, 6, 1 (REHM/STRECKER, GCS p. 149 l. 15–16).* 10 et ... positi *cfr Coel. I, J<sup>3</sup> 821, pr. (GONZÁLEZ, Epistolae decretales p. 46; Vat. lat. 1341, fol. 159ra).* Also *Ps.-Alex. I, J<sup>3</sup> †50, Ps.-Ant., J<sup>3</sup> †187, Ps.-Fab. I, J<sup>3</sup> †192, Ps.-Athanas. to Felix II.* 11–12 eisque ... valeatis: *cfr Paris a. 829, c. 12 (WERMINGHOFF, MGH Conc. II, 2 p. 618 l. 36f.).* 12–13 Vobis ... parabolis: *Luc. 8, 10.* 13–15 Propter ... dei: *cfr Clem. I, Rec. V, 8, 2 (REHM/STRECKER, GCS p. 169 l. 11f.).* 15–16 Vestrum ... obedire: *cfr ibid. VI, 2, 4 (p. 188 l. 6f.): Vestrum ergo est praebere ei oboedientiam ... ; and below 21–22.* 15–16 quia ... fungimini: *cfr Form. Ps. Cuius vice funguntur (stated more fully below at 21–23) and 2. Cor. 5, 20.* 19 populi ... linguae: *Dan. 3, 4.* 21 Nam ... deo: *cfr above, 15–16.* 21–23 cuius ... spernit<sup>2</sup>: *Form. Ps. Cuius vice funguntur (see also 15–16), with 2. Cor. 5, 20 and Luc. 10, 16.* 23–24 qui<sup>1</sup> ... misit: *Matth. 10, 40.* 24–26 Nihil ... existere: *cfr Clem. I, Rec. II, 18, 2–3 (REHM/STRECKER, GCS p. 62 l. 3–9): the general discussion of obedience is here specified to address clerici and laici.* 26–27 Novimus ... cecidisse *cfr Gen. 3. The same phrase recurs in an anonymous letter in the so-called Regula interpolata of Chrodegang, c. 81 (BERTRAM, Chrodegang Rules p. 223: see also, at slightly greater remove, Ben. Lev. III, 155): Siquidem et primum hominem per inobaedientiam cecidisse legimus. On the source problem see SECKEL, NA 39 (1914) p. 384; and WERMINGHOFF, NA 27 (1902), p. 646f., 651.* 27–28 quia ... gratiam: *1. Petr. 5, 5.* 28–29 dominus<sup>2</sup> ... omnes: *Clem. I, Rec. II, 33, 3 (REHM/STRECKER, GCS p. 71 l. 9f.).* 29–30 docere ... existere: *cfr ibid. (l. 10–11); Matth. 28, 19–20.* 30–35 quoniam ... pariet: *cfr ibid. VI, 2, 2–4 (p. 188 l. 1–8).*

pariet fructus suos, nisi culta receperit *semen* et irrigata *germinaverit* et pariat, quae est paritura. Sic et omnis homo, qui libenter non receperit verbum dei, illudque in corde suo *germinare* non siverit ac minime crediderit doctoribusque et episcopis suis non benivolus, sed rebellis atque inoboediens extiterit, fructum non  
 35 *germinabit* nec pariet, sed similis est arbori illi, de qua dominus ait: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.*

*Primus enim pontifex Aaron chrismate compositionis perunctus princeps populi fuit et tamquam rex primitias et tributum per capita accepit a populo, et iudicandi populos sorte suscepta de mundis inmundisque iudicabat. Sed si alius*  
 40 *ex ipso unguento perunctus est, virtute inde concepta etiam ipse rex aut propheta aut pontifex fiebat. Quod si temporalis gratia ab hominibus composita tantum potuit, intellegite iam, quantum sit illud unguentum, quod a deo de virgulto vitae prolatum est, cum hoc, quod ab hominibus factum est, tam eximias inter homines conferat dignitates. Quid enim in praesenti saeculo propheta gloriosius, pontifice clarius, rege sublimius?* 3

Omnis enim pontifex sacra chrisma perunctus et in civitate constitutus, scripturis eruditus, carus et pretiosus hominibus oppido esse debet. *Quem quasi Christi locum tenentem honorare omnes debent eique servire et oboedientes ad salutem suam fideliter existere scientes, quod sive honor sive iniuria, quae ei defertur, in Christo redundat et a Christo in deum. Audire ergo eum attentius oportet et ab ipso suscipere doctrinam fidei, monita autem vitae a presbyteris inquirere, a diaconibus vero ordinem disciplinae.* Propter quod deprecor vos, conservos et adiutores meos, ut discatis attentius animarum curam gerere et pro omnibus stare, maxime tamen pro his, qui in cultu divino laborant. Ecclesiarum  
 50 omnium curam habetote servisque earum adiutorium praebete, *viduarum religiosam curam gerite, pupillos enixius liberate, pauperibus misericordiam facite, iuvenes pudicitiam docete et, ut breviter totum dicam, alterutrum vos, in quibus res poposcerit, sustentate. Deum colite, qui creavit caelum et terram, et Christo credite. Invicem vos diligite et misericordes estote in omnes. Non verbo solo, sed opere et rebus replete caritatem. Agite pro viribus, conservi dilectissimi, quia bonum est, ut unusquisque vestrum, secundum quod potest, prosit accedentibus ad fidem religionis nostrae. Et ideo non vos pigeat secundum sapientiam, quae vobis per dei providentiam collata est, instruere ignaros et docere. Desiderium ergo habere omnes erga doctorem veritatis eumque ut oculos*  
 55 *suos amare oportet, quia et ipsum populum sibi commissum ceu proprios filios amare et docere condecet. Hoc enim a patre caelesti donatum est, sed salus in eo est, ut voluntatem eius, cuius amorem et desiderium deo largiente conceperint, faciant.* 4

*Si quis ergo fidelis voluerit existere et desiderat baptizari, exutus prioribus malis de reliquo pro bonis actibus haeres bonorum caelestium ex gestis propriis* 5  
 70

33 siverit] *corr. from sinuerit V.* 39 populos] *corr. from populo V.* 44 conferat] *corr. from conferant V.* 55 servisque] *corr. from servorumque V.* 64 ut] *add. over line V.* 66 caelesti] *corr. from caelestis V.*

35–36 *Omnis ... mittetur: Matth. 7, 19.* 37–45 *Primus ... sublimius: Clem. I, Rec. I, 46, 2–5 (REHM/STRECKER, GCS p. 35 l. 3–14); and Exod. 29, 7; Lev. 8, 2, 10; Ecclus. 49, 1.* 47–52 *Quem ... disciplinae: ibid., III, 66, 6–7 (p. 140 l. 23–p. 141 l. 1).* 55–60 *viduarum ... caritatem: ibid., III, 66, 8–9 (p. 141 l. 1–6).* 60–64 *conservi ... docere: ibid., VIII, 37, 2 (p. 240 l. 11–15).* 64–68 *Desiderium ... faciant: ibid., IV, 5, 3–4 (p. 148 l. 25–27). Ps.-Clem. I., J<sup>3</sup> †26.34 appropriates the same passage.* 69–77 *Si ... sanctis: ibid., III, 67, 1–4 (p. 141 l. 8–17); at 71 sacerdotium suum replaces Zacchaeum in the source.*

*fiat. Accedat autem, qui vult, ad sacerdotium suum, et ipsi det nomen suum atque ab eo audiat mysteria regni caelorum, ieiuniis frequentibus operam impendat ac semetipsum in omnibus probet, ut tribus mensibus iam consummando in die festo possit baptizari. Baptizatur autem unusquisque in aquis perennibus, nomine trinae beatitudinis invocato super se, perunctus primo oleo per orationem sanctificato, ut ita demum per haec consecratus possit percipere locum cum sanctis.* 75

6 Nullus enim propter *obprobrium senectutis* vel nobilitatem generis aut iuventutis a parvulis et minus eruditis, si quid forte est utilitatis aut salutis, inquirere neglegat. Qui enim rebelliter <vivit> et discere atque agere bona recusat, magis *diaboli* quam Christi membrum esse ostenditur et potius infidelis quam fidelis monstratur. *Quomodo ergo non omnibus hoc amabile est cunctisque exoptatum, ut, quae ignorat, discat, et, quae didicerit, doceat? Certissimum namque est, quod neque amicitia neque propinquitas generis neque regni sublimitas homini debet esse preciosior veritate, quia nihil est preciosius anima.* 80 85

7 Dominus autem creator omnium ex initio ad imaginem suam hominem fecit, eique dominationem terrae marisque et aeris ipsius dedit veritatemque inquirere praecepit, sicut et verus nobis propheta enarravit et ipsa rerum ratio docet. Solus enim homo est rationabilis, et consequens est, ut ratio inrationabilibus dominetur. Hic enim ab initio, cum adhuc iustus esset, cunctis viris et omni fragilitate superior erat, ubi autem peccavit et factus est servus peccati, simul et fragilitati efficitur obnoxius. Quod idcirco scriptum est, ut sciant homines, quia, sicut ex impietate passibiles facti sunt, ita per pietatem possunt esse impassibiles, et non solum impassibiles, verum et parva in deum fide aliorum passiones curantes. Ita enim verus ipse propheta promisit dicens: Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic: Transi hinc, et transibit. Huius vocis etiam vos ipsi documenta caepistis, etiam facta quaedam per magistros nos<tros>, ipsos videlicet apostolos, non ignoratis, quia adstantibus nobis eorum meritis demones cum passionibus, quas hominibus invexerant, transierunt et fugati sunt. Quia ergo alii quidem homines patiuntur, alii patientes sanant, causa sine dubio vel patiendi vel curandi noscenda est. Quae non alia esse quam patientibus quidem infidelitatis, curantibus vero fidei demonstratur. Infidelitas enim, dum non credit futurum dei iudicium, peccandi licentiam praebet, peccatum vero hominem passionibus obnoxium facit. Fides autem futurum esse dei iudicium credens continet homines a peccato. Non peccantes vero non solum liberi sunt a demonibus et passionibus, verum et aliorum demones et passiones fugare possunt. Ex his ergo hominibus colligitur, quod origo totius mali ab ignorantia descendat, et ipsa sit malorum omnium mater, quae incuria quidem et ignavia gignitur. Neglegentia vero alitur et augetur atque in sensibus hominum radicatur, dum amatur, quam, si quis forte doceat effugandam, velut antiquis et haereditariis sedibus moleste et indignanter 90 95 100 105 110

71 sacerdotium] *over line*: vel (sacerdo)tem V. 74 nomine] *corr. from* nomina V. 84 namque] namque\*\* V. 85 preciosius] *est follows exp. V.* 90 viris] *over line*: vel vivis V. 92 obnoxius] *in marg.*: debitor V. 92–93 quia sicut] *corr. from* quasi V. 98 nostros] *codd.*; nos V. 108 omnium mater] *corr. from* mater omnium V.

78–80 obprobrium ... vivit: *ibid.*, I, 67, 1 (p. 45 l. 28–p. 46 l. 1); at 80 rebelliter is rationabiliter in the source. 80–82 et ... monstratur: *cfr I. Ioh. 3, 10.* 82–85 Quomodo ... anima: *Clem. I, Rec. I, 67, 1–2 (REHM/STRECKER, GCS p. 46 l. 1–5).* 86–97 Dominus ... caepistis: *ibid.*, V, 2, 1–5 (p. 166 l. 11–p. 167 l. 4). 95–97 Amen ... transibit: *Matth. 17, 19.* 98–215 adstantibus ... servies: *Clem. I, Rec. V, 2, 5–13, 3 (REHM/STRECKER, GCS p. 167 l. 4–p. 171 l. 24).*

avellit. Et ideo paululum laborandum nobis est, et indignantes ignorantiae  
 praesumptionis scientiae ratione recensemus, in his praecipue, qui in aliquibus  
 minus rectis opinionibus praeventi sunt, per quas quasi sub specie alicuius  
 115 scientiae ignorantia in his vehementius radicata est. Nihil enim gravius quam, si  
 id, quod ignorat quis, scire se credat et defendat verum esse, quod falsum est.  
 Quod tale est, quale si quis ebrius, sobrium se tamen et ipse putet et dici a ceteris  
 velit. Ita sunt ergo et hi ignorantes, quod verum est, speciem tamen alicuius  
 120 scientiae tenent et mala quasi bona gerunt atque ad perniciem quasi ad salutem  
 festinant. Propter quod ante omnia properandum est ad agnitionem veritatis, ut  
 possimus quasi lumine nobis inde succenso errorum tenebras depellere. Grande  
 enim malum est, ut diximus, ignorantia, sed quia substantiam non habet, facile ab  
 his, qui studiosi sunt, effugatur. Non enim aliud est ignorantia, nisi non  
 125 agnovisse, quod expedit, ubi autem cognoveris, perit ignorantia. Quaeri ergo  
 magnopere debet veritatis agnitio, quam nemo alius assignare potest nisi verus  
 propheta. Haec enim via est vitam volentibus ingredi et sunt operum bonorum  
 pergentibus ad civitatem salutis. Si quis sane audiens sermonem veri prophetae  
 velit recipere aut nolit et amplecti onus eius, id est mandata vitae, habet in sua  
 130 potestate, liberi enim sumus arbitrii. Nam si hoc esset, ut audientes, eum iam non  
 haberent in potestate aliud facere, quam audierant, vis erat quaedam naturae,  
 per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam, aut si rursus ex  
 audientibus nullus omnino reciperet, et hoc naturae vis erat, quae unum aliquid  
 fieri cogeret et alteri parti non daret locum. Nunc autem, quia liberum est animo,  
 135 in quam velit partem, declinare iudicium suum, et quam probaverit eligere viam,  
 constat evidenter inesse hominibus arbitrii libertatem. Igitur, priusquam audiat  
 quis, quod ei expedit, certum est, quia ignoret, et ignorans vult et desiderat, quod  
 non expedit, agere, propter quod pro hoc non iudicatur. Cum vero audierit  
 causas erroris sui et rationem veritatis acceperit, tunc si permanserit in his  
 140 erroribus, quibus dudum fuerat praeventus, recte iam vocabitur ad iudicium  
 daturus paenas, quia vitae huius spatium, quod ad bene vivendum accepit, in  
 ludibriis consumpserit errorum. Qui vero audiens libenter accipit et gratulatur  
 bonorum sibi doctrinam fuisse delatam, requirat intentius et discere non desinat,  
 usquequo cognoscat, si est vere aliud secundum, in quo bonis praemia  
 145 praeparata sunt, et cum certus de hoc fuerit, gratias agat deo, quod sibi veritatis  
 lumen ostenderit. De cetero dirigat actus suos in omnibus operibus bonis,  
 quorum sibi in futuro mercedem certus est praeparatam demirans per omnia et  
 stupens ceterorum hominum errores, et quod ante oculos positam veritatem nemo  
 videbat. Ipse tamen gaudens super divitiis sapientiae, quas invenit, insatiabiliter  
 his perfruatur et exercitio bonorum operum delectetur festinans ad saeculum  
 150 futurum mundo corde et pura conscientia pervenire, ubi etiam videre deum regem  
 omnium possit. His autem omnibus carere nos et fraudari sola facit ignorantia.  
 Dum enim ignorant homines, quantum boni habeat scientia, ignorantiae malum  
 de se non patiuntur excludi. Nesciunt enim, quanta sit in horum permutatione  
 155 diversitas. Propter quod consilium do unicuique discentium libenter praebere  
 aurem verbo dei et cum amore veritatis audire, quae dicimus, ut mens optimo  
 semine suscepto per bonos actus laetos adferat fructus. Nam <si me> docente ea,  
 quae ad salutem pertinent, recipere quis abnuit et animo pravis opinionibus

116 falsum] corr. from ? V. 118 hi] hi\* V. 119 gerunt] corr. from gerant V. 141 accipit] corr. from  
 accepit V. 155 audire] corr. from audite V. 156 si me] codd., sine V.

148 divitiis sapientiae: cfr Rom. II, 33.

*occupato obsistere nititur, non ex nobis, sed ex semetipso habebit pereundi causam. Debet enim iusto iudicio examinare, quae dicimus, et intellegere, quia verba loquimur veritatis, ut cognitis his, quae sunt, ut sunt, et in bonis actibus dirigens viam suam regni caelorum possit particeps inveniri subiciens sibi carnis desideria et dominus eorum factus, ut ita demum etiam ipse fiat dominatoris omnium iocunda possessio. Nam qui permanet in malo et servus est mali, non potest effici portio boni, donec permanet in malo, quia ab initio, ut ante iam diximus, duo regna statuit deus et potestatem dedit unicuique hominum, ut illius regni fiat portio, cui se ad oboediendum ipse subiecerit. Et quia definitum est apud deum non posse unum hominem utriusque regni esse servum, omni studio date operam in boni regis aulam ac iura concurrere. Propter hoc denique verus propheta, cum esset praesens nobiscum et quosdam ex divitibus neglegentes erga dei cultum videret, huius rei ita aperuit veritatem: Nemo potest, inquit, duobus dominis servire, et non potestis deo servire et mammonae, mammona patria eorum voce divitias vocans.*

*Hic ergo verus propheta, qui in Iudea nobis apparuit, ut audistis, qui stans publice sola iussione faciebat caecos videre, surdos audire, fugabat demones, aegris sanitatem reddebat et mortuis vitam. Cumque nihil ei esset impossibile, etiam cogitationes hominum pervidebat, quod nulli esset possibile nisi soli deo. Hic annuntiabat regnum dei, cui nos de omnibus, quae dicebat, tamquam vero prophetae credidimus firmitatem fidei nostrae non solum ex verbis eius, sed ex operibus assumentes, quia dicta legis, quae ante multas generationes de praesentia eius exposuerant, in ipso consignantur, et imaginem gestorum Mosei et ante ipsum patriarchae Iacob ipsius per omnia typum ferebant. Tempus quoque adventus eius, hoc est ipsum, in quo venerat, praedictum ab his constat, et super omnia, quod esset a gentibus exspectandus sacris litteris compraeensum est, quae in eo pariter universa completa sunt. Quod autem Iudeorum propheta praedixit eum a gentibus expectandum, supra modum in eo fidem veram firmat. Si enim dixisset a Iudeis expectandum, non aliquid eximium prophetasse videretur, quod a contribuli populo et a propria gente speraretur is, cuius adventus ad salutem mundi fuerat repromissus. Videtur enim magis consequens ratio esse, ut hoc fieret, quam magnificentia prophetalis. Nunc autem cum prophetae dicant omnem illam spem, quae de salute mundi repromittitur, et novitatem regni, quae instruenda per Christum est, atque omnia, quae de eo i<n>dicantur, ad gentes esse transferenda, iam non secundum consequentiam rerum, sed incredibili quodam vaticinatos eventu, magnificentia prophetica confirmatur. Iudei namque ex initio affore aliquando hunc virum, per quem cuncta reparentur, verissima traditione susceperant, et cotidie meditantes ac prospicientes, quando eius fieret adventus, ubi adesse viderunt et signa ac prodigia, sicut de eo adscriptum fuerat adimplentem, invidia excecati agnoscere nequiverunt praesentem, in cuius spe laetabantur absentes. Intellexerunt tamen sancti apostoli, qui a deo electi sunt, et nos, qui post ab eis electi sumus. Hoc autem providentia dei factum est, ut agnitio boni huius etiam gentibus traderetur, et hi, qui numquam de eo audierant nec a prophetis didicerant, agnoscerent eum, illi vero, qui cotidianis meditationibus evanuerant, ignorarent. Ecce enim per vos nunc, qui praesentes estis, et desideratis audire doctrinam fidei eius et agnoscere, quis et quomodo et qualis sit*

**165** statuit] \*statuit V.    **191** indicantur] Eton, Coll. Lib. 97, Sankt-Gallen 670 (with source); iudicantur V.    **198** laetabantur] corr. from laetabuntur V.

**170–171** Nemo ... mammonae: *Matth.* 6, 24,    **182–188** et ... repromissus: *cfr Gen.* 49, 10.

205 eius adventus, prophetica veritas adimpletur. Hoc est enim, quod praedixerant  
 prophetae, quia a vobis quaerendus esset, qui de eo numquam audistis. Et ideo  
 videntes in vobis ipsis prophetica dicta compleri, huic uni recte creditis hunc  
 recte expectatis, de hoc recte inquiritis, ut non solum expectetis eum, sed et  
 haereditatem regni eius credentes consequamini, secundum quod ipse dixit, quia  
 210 unusquisque illius sit servus, cui se ipse subiecerit. Propterea ergo vigilate et  
 dominum deumque nostrum vobis conscribite dominum, qui et caeli ac terrae  
 dominus est, et ad ipsius vos imaginem ac similitudinem reformate, sicut ipse  
 verus propheta docet dicens: Estote boni et misericordes, sicut et pater vester  
 caelestis misericors est, qui oriri facit solem suum super bonos et malos et pluit  
 super iustos et iniustos. Hunc ergo imitami et hunc timete, et sicut mandatum  
 215 datur hominibus: Dominum deum tuum timebis et ipsi soli servies.

*Infidelibus* quidem dormit dominus et absens habetur his, a quibus esse non  
 creditur, et mandatis eius non oboediunt, atque ob id illis videtur quasi dormire  
 dominus, quia pro peccatis suis non exaudiuntur. Quapropter cunctis fidelibus et  
 summopere omnibus PRESBYTERIS ET DIACONIBUS ac reliquis clericis attendendum  
 220 est, UT NIHIL absque EPISCOPI proprii licentia AGANT. Non utique missas sine eius  
 iussu quisque presbyterorum in sua parochia agat, non baptizet nec quisquam  
 absque eius permissu faciat. Similiter et reliqui populi, maiores scilicet et  
 minores, per eius licentiam, quicquid agendum est, agant, nec sine eius permissu  
 a sua parochia abscedant, vel in ea adventantes morari praesumant. Animae vero  
 225 eorum ei creditae sunt, ideo omnia eius consilio agere debent et eo inconsulto  
 nihil.

*Quicumque enim oboediunt* episcopis suis, videntur quidem aliquid gratiae  
 conferre deo, qui autem eis non obediunt, indubitanter rei et reprobi existunt.  
 Porro ipsi a deo donum summi muneris consequuntur, qui iustitiae et praecepti  
 230 eius semitas incedentes suis doctoribus, qui recte episcopi intelleguntur, libenter  
 oboediunt. De quibus et beatus Petrus, instructor et ordinator noster et princeps  
 apostolorum, manifeste cunctos audientes instruebat dicens: Videntur mihi, qui  
 loquuntur verbum veritatis et qui illuminant animas hominum, similes esse radiis  
 16r solis, qui, ut processerint et apparuerint mundo, caelari ultra aut occultari  
 235 nullatenus possunt, dum <non tam> videntur ab hominibus, quam videre  
 omnibus praestant. Unde et bene ipsa per se veritas ad veritatis praecones ait:  
 Vos estis lux mundi, et non potest civitas abscondi supra montem posita, neque  
 accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut  
 omnibus luceat, qui in domo sunt. Si quis ergo his oboedierit, deo, ut dictum est,

205 qui ... eo] corr. from quid eo V. 229 et praecepti] add. in marg. V. 235 non tam] codd.; portam V.

205 quia ... audistis: cfr Isai. 65, 1, 208–209 quia ... subiecerit: cfr Matth. 6, 24; Ioh. 8, 34; Rom. 6, 16. 212–213 Estote ... est: Luc. 6, 36. 213–214 qui ... iniustos: Matth. 5, 45. 215 Dominum ... servies: Deut. 6, 13; Matth. 4, 10. 216–218 Infidelibus ... dominus: Clem. I, Rec. VIII, 62, 4 (REHM/STRECKER, GCS p. 256 l. 22–23). 219–220 omnibus ... agant: cfr Form. Ps. Sine conscientia episcoporum, here expanded to include at the reliqui clerici. 220–222 Non ... faciat: cfr Concilium Vernense a. 755, c. 8 (BORETIUS, MGH Capit. I p. 34 l. 42–p. 35 l. 2), cited by Lull, ep. 110 (TANGL, MGH Epp. sel. I p. 327 l. 11–15). 223 quicquid ... agant: cfr Aug., De correptione et gratia II, 4 (MIGNE PL 44 col. 918); also excerpted by Florus, Sententiae beati Augustini de praedestinatione (MIGNE PL 116 col. 128). 224–225 Animae ... sunt: Can. Apost., c. 41 (Dion.-Hadr.; TURNER, EOMIA I, I S. 28b l. 3f.). 227–230 Quicumque ... incedentes: Clem. I, Rec. II, 20, 1 (REHM/STRECKER, GCS p. 63 l. 17–19), retouched to address the episcopate. Also below 239–240. 232–239 Videntur ... sunt: ibid., VIII, 4, 1–2 (p. 219 l. 1–8). 237–239 Vos ... sunt: Matth. 6, 14–15. 239–240 Si ... offert: cfr Clem. I, Rec. II, 20, 1 (REHM/STRECKER, GCS p. 63 l. 17–19), and above 227–229.

- magnum munus offert. Qui autem his restiterit *AUT INOBOEDIENS EXTITERIT*, non 240  
his, sed domino salvatori nostro, *CUIUS LEGATIONE FUNGUNTUR*, resistit.
- 10 *Propter quod primum est omnium iustitiam dei regnumque eius inquirere et*  
*suis iussionibus obtemperare: iustitiam quidem, ut recte agere doceamus; regnum*  
*vero, ut, quae sit merces posita laboris et patientiae, noverimus, in quo est bonis* 245  
*quidem aeternorum bonorum remuneratio, his autem, qui contra voluntatem eius*  
*egerunt, pro uniuscuiusque gestis poenarum digna restitutio. Hic ergo, hoc est in*  
*praesenti vita, positos oportet vos agnoscere voluntatem dei, ubi et agendi et*  
*sacrificandi est locus, quoniam in aliis locis sacrificare et missas caelebrare non*  
*licet nisi in his, in quibus episcopus proprius iusserit aut ab episcopo regulariter* 250  
*ordinato tenentem videlicet civitatem consecratus fuerit. Aliter enim non sunt*  
*haec agenda nec rite caelebranda docente nos novo et veteri testamento. Haec*  
*apostoli a domino acceperunt et nobis tradiderunt, haec nos docemus vobisque et*  
*omnibus absque reprobatione tenere et docere, quibus agendum est,*  
*mandamus.*
- 11 *Unaquaeque etenim res suum tempus habet et locum. Operum hic locus est,* 255  
*tempus vero est meritorum saeculum futurum. Ne ergo impediamur ordinem*  
*locorum ac temporum permutantes, primo quae sit dei iustitia requiramus, vitam*  
*quam iter acturi habundanti viatico bonis operibus repleamur, quo possimus ad*  
*regnum dei tamquam ad urbem maximam pervenire. Deus enim his, qui recte*  
*sentiunt, per ipsa opera mundi, quae fecit, manifestus est, ipsius creaturae suae* 260  
*utens testimonio, et ideo cum de deo dubitatio esse non debeat, de sola nunc eius*  
*iustitia requiramus et regno.*
- 12 *Idcirco persuadeo primum iustitiam eius esse requirendam, ut per hanc iter*  
*agentes et in via positi veritatis verum prophetam invenire possimus, non*  
*velocitate pedum, sed bonorum operum velocitate currentes, ut ipso duce usi* 265  
*nullum viae huius patiamur errorem. Si enim ipsum sequentes ingredi*  
*meruerimus illam, quo pervenire cupimus, civitatem, omnia iam, de quibus*  
*quaeritur, oculis videbimus tamquam heredes omnium facti. Intellegite itaque*  
*vi[t]am esse hunc vitae nostrae cursum, viatores eos, qui nos instruunt vel bona*  
*opera gerunt, portam vero prophetam, de quo dicimus, urbem <regnum> esse, in* 270  
*quo residet omnipotens pater, quem soli videre possunt hi, qui mundo sunt corde.*  
*Non ergo vobis difficilis videatur huius itineris labor, quia in fine eius requies*  
*erit. Nam et ipse verus propheta ab initio mundi per seculum currens festinat ad*  
*requiem. Adest enim vobis omnibus diebus et, si quando necesse est, apparet et*  
*corrigit nos, ut obtemperantes sibi ad vitam perducatur aeternam.* 275

240 restiterit] *corr. from* resisterit V. 260 est] *add. over line* V. 262 regno] *corr. from* regna V. 269 vitam] *viam* Vat. *Ottob. lat.* 93 (*with source*); vitam V. 270 regnum] *codd., om.* V.

240 Qui ... extiterit: *Form. Ps.* Contumax aut superbus. 240–241 non ... resistit: *Form. Ps.* Cuius vice funguntur. 242–248 Propter ... locus: *Clem. I, Rec. II, 20, 2–3* (REHM/STRECKER, GCS p. 63 l. 19–26). 242 Propter ... inquirere: *Matth. 6, 33*. 248–251 quoniam ... testamento: *cfr Paris a. 829, III, c. 73* (VI) (WERMINGHOFF, MGH *Conc. II, 2 p. 672 l. 16–25*). Slightly more distant is *Relatio episcoporum, c. 46* (BORETIUS, MGH *Capit. II p. 41 l. 36–p. 42 l. 2*), which informs *Ben. Lev. III, 431a* 255–262 Unaquaeque ... regno: *Clem. I, Rec. II, 21, 2–4* (REHM/STRECKER, GCS p. 64b l. 17–p. 65 l. 2). 255–256 Unaquaeque ... futurum: *Also Ps.-Clem. I, J<sup>3</sup> †26.35*. 255 Unaquaeque ... locum: *cfr Eccles. 3, 1*. 259–260 Deus ... est: *cfr Rom. 1, 19*. 263–275 persuadeo ... aeternam: *Clem. I, Rec. II, 22, 1–5* (REHM/STRECKER, GCS p. 65 l. 11–24). 271 mundo ... corde: *cfr Matth. 5, 8*. 274 Adest ... diebus: *cfr Matth. 28, 20*.

De his autem, qui neglegunt viam suae salutis et adhuc non bene fideles et  
 praecipis eius suorumque pontificum iussionibus inoboedientes vel contumaces  
 eis existunt, dominus noster Iesus Christus mittens discipulos suos praecipit  
 nobis dicens: *Ut in quamcumque civitatem aut domum introierimus, dicamus:*  
 280 *Pax huic domui. Et si quidem, inquit, fuerit ibi filius pacis, veniat super eum pax*  
*vestra, si vero non fuerit, pax vestra ad vos revertetur. Exeuntes autem de domo*  
*vel de civitate illa etiam pulverem, quae adhaeserit pedibus nostris, excutiamus*  
*super eos. Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorreorum in die iudicii*  
 285 *quam illi civitati vel domui. Quod utique ita demum fieri praecipit, si prius in*  
*civitate vel domo veritatis sermo praedicetur, ex quo vel recipientes veritatis*  
*fidem filii pacis et filii dei fiant, vel non recipientes arguantur quasi inimici pacis*  
*et dei. Ita ergo et nos magistri instituta sectantes pacem primo proponimus*  
*auditoribus, ut absque ulla perturbatione possit via salutis agnosci. Quod si quis*  
 290 *pacis verba non suscipit neque adquiescit veritati, scimus adversus eum pugna*  
*verbi movere et urguere acrius confutando ignorantiam et redarguendo peccata.*  
*Necessario igitur pacem proponimus, ut, si quis est filius pacis, pax nostra veniat*  
*super eum, ab eo autem, qui se alienum pacis effecerit, regredietur ad nos pax*  
*nostra.*

Et si iterum in mandatis habemus, ut venientes ad civitatem discamus prius,  
 295 *quis in ea dignus sit, ut apud eum cybum sumamus, quanto magis convenit*  
*noscere, quis qualisve sit is, cui immortalitatis verba credenda sunt? Solliciti*  
*enim et valde solliciti esse debemus, ne margaritas nostras mittamus ante porcos.*  
*Sed et alias ob causas utile est viri huius me habere notitiam. Si enim sciam, quia*  
 300 *in his, de quibus non potest dubitari, quod bona sint, emendatus est et*  
*inculpabilis, hoc est si sobrius, si misericors, si iustus, si mitis et humanus, quae*  
*utique bona esse nullus ambigit, tunc consequens videbitur, ut ei, qui obtinet*  
*bona virtutum etiam, quod deest fidei et scientiae, conferatur et, in quibus*  
*maculari videtur eius vita, quae est in reliquis probabilis, emendetur. Si vero in*  
 305 *his, quae palam sunt, peccatis involutus permanet inquinatus, non me oportet*  
*aliquid de secretioribus et remotis divinae scientiae proloqui, sed magis*  
*protestari et convenire eum, ut peccare desinat et actus suos a vitiis emendet.*  
*Quod si ingesserit se et provocaverit minus recte agentem non oporteat audire,*  
*prudenter eum debemus eludere. Nam nihil omnino respondere auditorum causae*  
 310 *<utile> non videtur, ne forte aestiment nos responsionis penuria declinare*  
*certamen, et fides eorum laedatur, non intellegentia propositi nostri.*

Magna contumelia et grave nobis erit peccatum, si ita desipiamus, ut videamus  
 eum, qui idola colit, esse sobrium, nos, qui deum colimus, sobrii esse recusemus.  
 Non hoc sit inter nos, sed magnum habeamus studium, ut si illi, qui errant,  
 homicidium non faciunt, nos ne irascamur quidem. Et si illi adulterium non  
 315 committunt, nos ne concupiscamus quidem alienam mulierem. Si illi amant  
 proximos suos, nos diligamus etiam inimicos nostros. Si illi mutuo dant his, qui

295 magis] *add. in marg. V.* 296 is] \*is V. 300 humanus] *corr. from hamanus V.* 309 utile] *codd.; om. V. videtur] corr. to videntur V.*

278–293 dominus ... nostra: *Clem. I., Rec. II, 30, 2–31, 3 (REHM/STRECKER, GCS p. 69 l. 26–p. 70 l. 16).* 279–284 in ... domui: *Matth. 10, 12–15; Luc. 10, 5–6.* 294–310 in ... nostri: *Clem. I., Rec. II, 3, 4–4, 6 (REHM/STRECKER, GCS p. 52 l. 28–p. 53 l. 19).* 294–295 venientes ... sit: *cfr Matth. 10, 11; Luc. 10, 8* 297 ne ... porcos: *cfr Matth. 7, 6.* 311–339 si ... posita: *Clem. I., Rec. VI, 13, 3–14, 5 (REHM/STRECKER, GCS p. 195 l. 3–p. 196 l. 5).* 313–314 ut ... quidem: *cfr Matth. 5, 22.* 314–315 Et ... mulierem: *cfr Matth. 5, 27–28.* 315–317 Si ... speramus: *cfr Matth. 5, 42–44; Luc. 6, 27, 34.*



- habent, unde reddant, nos etiam his demus, a quibus recipere non speramus. Et per omnia nos, quia aeterni saeculi hereditatem speramus, debemus praecellere eos, qui praesens tantum saeculum norunt, scientes, quia, si opera illorum nostris operibus collata in die iudicii similia inveniantur ac paria, confusio nobis erit, quod aequales invenimur in operibus his, qui propter ignorantiam condempnantur et nullam spem futuri saeculi habuerunt. Et vere digna confusio est, ubi nihil amplius gessimus ab his, quibus amplius intelleximus. Quod si confusio nobis erit, aequales his inveniri in operibus bonis, quid erit nobis, si inferiores nos ac deteriores examinatio futura repperiat? Audite ergo, quomodo de his nos ipse verus propheta docuerit. Ad eos autem, qui negligunt audire verba sapientiae, ita ait: Regina austri surget in iudicio cum generatione hac et condempnabit eam, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic, et non audiunt. Ad eos vero, qui de malis actibus gerere paenitentiam detrectabant, ita ait: Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione hac, et condempnabunt eam, quia paenitentiam egerunt in praedicatione Ioniae, et ecce plus quam Iona hic. Videtis ergo, quomodo eos, qui erudiebantur ex lege, adductis ad exemplum illis, qui ex gentili ignorantia veniebant, et ostendens eos nec illis aequales esse, qui in errore positi videbantur, ex ipsa tantum comparatione condempnatos. Ex quibus omnibus sermo, quem proposuimus, approbatur, ut castimonia, quae aliquatenus etiam ab his, qui in errore sunt positi, custoditur, multo plurius et attentius et per singulas quasque, sicut supra ostendimus, species a nobis, qui veritatem sequimur, teneatur, eo magis, quo apud nos observantiae eius praemia aeterna sunt posita.*
- 16 Aliter enim nemo salvus esse poterit, nisi his observationibus pro viribus operam dederit. 340
- 17 Deus vos in sua voluntate unumquemque in suo ordine semper custodiat, fratres, et sibi placere in omnibus concedat. Amen.

319 nostris] *corr. from* nostros V. 330 detrectabant] *corr. from* detractabant V. 331 condempnabunt] *corr. from* ? V.

327–329 Regina ... hic: *Matth. 12, 42, Luc. 11, 31.* 330–332 Viri ... hic: *Matth. 12, 41; Luc. 11, 32.* 340–341 enim ... dederit: *Paris a. 829, I, c. 1 (WERMINGHOFF, MGH Conc. II, 2 p. 610 l. 4–6).*